DISSERTATIO INAUGURALIS DE ANASACRA AB OCTAVIO ARVEDI EX VOLARGNE...

Ottavio Arvedi



DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE ANASARCA

AB OCTAVIO ARVEDI EX VOLARGNE
IN AGRO VERONAE


EXPOSITA

AD MEDICAM LAUREAM

IN ANTIQUISSIMA PATAVINA UNIVERSITATE

REDIMENDAM

ANNO MDCCCXXXVII.



TARVISII

TYPIS ANDREOLIANIS

MDCCCXXXVII.

DE ANASARCA

Anasarca quod ex graeco fonte cadit (*anasarx*) aquam, licet verbum hoc minime in nostros incurrat oculos, inter fibras importat. Anasarca quae lencoflegmaxia a nonnullis etiam appellatur, ex nimia seri in textu cellulari collectione procul dubio proficiscitur. Cum seri maxima sit copia, corpus extra modum augetur, ac simul tumefactae partes obdurescunt, resistuntque: si autem digitis premantur diu acceptam praeseferunt foveam. Plerumque extremitates partesque ubi textus cellularis magis est relaxatus, magis sero tumescunt. Cutis anasarca laborantium praeter normam albescit. Quo auctior fit hujuscemodi collectio, eo magis protenditur, attenuatur, nitetque cutis, quam extensio ipsa nonnunquam perumpit. In simplici anasarca, serum, eosdem tum physicos, tum chemicos, quos sanum praestat, characteres saepe numero servat. Nihilo tamen secius praesertim si anasarca inveteraverit, serum effluxum, vel propter alias infirmitates, veluti chronicam phlegmaxiam, telam cellularem invadentem, vel propter diuturnam, in hujus maculis textus mansionem, mutationi obnoxium esse potest. In muliere, cujus extremitates jampridem aedemate affectae nimiam assequebantur magnitudinem, uti non raro aelephantiasis apud Arabes serum in id densitatis cohibat, ut cum laminis et cute

coaluerit. Ast, inquam, in simplice anasarca serum in cellulis, naturales notas incolumes tuetur.

Universale aedema rarius quam speciale observatur, praesertim si morbus ab aliquo circulationis impedimento in corde, vel magnis in vasis sito non exsiliat. Saepissime inferius tantum occurrit, cumque generale fiat, tunc et ibi fere semper suum capit initium. Quae, uti manifestum est, de morbo a generali principio proficiscente intelligimus: attamen peculiaria momenta hujusmodi morbi progressum perturbant.

Nemo ni fallor, ad aestimandam seri copiam cellulas in anasarca extendentem, adhuc incubuit. Si percrebuerit inflatio serum collectum aequiparare quin verbis rem exageremus, illud ingentis ascitis potest. Si membrum, quod aedema invaserit, incidatur, cellulares concamerationes subcutaneae eo crescunt, ut pollicaris et ultra nonnunquam sit eorum crassitudo. Undique ex vulnere serum effluit, et si hic illic cellulare prematur, humor non secus atque a spongia aquae plena compressa, extillat. Cellularum areolae, magis minusve augentur, quandoque poliposas decoloresque massas, quae corde et magnis vasis insunt, apprime referunt. Cum serum contentum omnino exprimatur nil aliud quam lanosae laciniae restant, quae sero, ut ita dicam ablutae, veluti ac peritoneum in vetere ascite, aliquid albi manifestant. Cellularis retis laminae a sero quodammodo dilacerantur, et tumor integram pellem aliquando inficit. Cum in cellulis, quae musculis obstant, aedematis est sedes, iidem musculi minus quam soleant, rubent; et si anasarca multum temporis institerit, plane decolorantur. Haec hactenus de anathomicis anasarcae characteribus: nunc inceptis adhaerentes morbi tum principia, tum genera explicare aggrediamur. Duplici ratione anasarca fit. Primum, cum

morbus a secretionis additamento, quae inter cellulas expletur, scatet: alterum, cum anasarcam imminutioni atque omnino cellularis absorptionis defectui adjudicare debemus. Illud anasarcae genus activi, hoc passivi cognomen sibi asserit: alterum asthenicum, alterum sthenicum etiam appellatur. Altera etiam distinctio oritur, nempe cum anasarca succedit ibi ubi agit causa, vel cum ipsa causa alibi existit a seri effluxus: hinc anasarcae symptomaticae vel secundariae profluit discrimen. Hujusmodi partitiones naturae congruunt, quin etiam servari merentur. Hoc unum optandum ut minutius ac scrupulosius denotentur. Anasarca, quam activam nuncupamus, sua indole phlegmaxiis proximat. Quidam activae hydropisiae extremum, phlegmaxiaequae exordium haud designari posse contendunt. Breschet et Foderé, optimas de acutis activisque hydropisiis animadversiones collegerunt. Nuper clarissimus Billard, parvulorum cellularum duritiem, tanquam aedema persimile adolescentium aedemati ducendam demonstrare studuit.

Quo ad anasarcam passivam inter hanc phlegmaxiasque tantum est distantiae uti mehercule nequeant confundi. Nuperrime de formationis modo, tum hydropisiae passivae generatim, tum istiusmodi anasarcae specialiter minus sapientes sententiae invaluerant. Communior autem a vasorum absorbentium, sive lymphaticorum atonia congeriem, de quo loquimur oriri propugnabat. Haec seri opinio minime valet ad quaestionem quam instituimus explicandam. Primum vasa lymphatica, seri absorptionis necessaria organa esse a veritate abhorret; secundo: atoniam venarum, quae hujuscemodi absorptionis praecipua aestimantur organa, anasarcae passivae semper causam extare haud satis probarunt. Nam plerumque, nihil de absorbentium organorum atonia certiores nos fa-

cit: et contra quoties, hanc atoniam existentem ponere possimus morbus, de quo sermo est, minime se manifestat. Praeterea fatemur difficile aliquam laesionis atoniae, claram ac distinctam notionem assequi, et adhuc nullum argumentum esse ad explanandum, nec dico certissimam causam, sed rationem magis absorptioni consentaneam. Atqui hoc saltem in plenam lucem antequam a vis inopia, hydropisias per absorptionis defectum, existere asseveretur, proferatur oportet. Utcumque res se habeat, peritissimus Medicus, in suo opusculo, quod paucis abhinc annis publici juris fecit, enucleavit, quin complures ni omnes hydropisias, quae passivae nuncupantur, a mecchanico vel seri, vel venosi sanguinis cursui impedimento oriri experimentis se deprehendisse affirmavit. Peculiaria aedemata pleraque docuit, obliterationi seu compressioni truncorum venarum inter partes aedemate affectas decurrentium esse referenda. Haec opinio mirabili modo cum experimentis Magendie, quibus nihil ambigendum utrum venae seri absorptioni praecipue sint causae, consentit. In dubium igitur minime revocare possumus quin hydropisiae passivae, atque ea de qua speciatim nunc verba facimus saepe numero a plane mecchanico, absorptioni et seri çursui impedimento suam originem ducant. Adhuc hujuscemodi impedimenta in magnis truncis praecipuisque venarum divisionibus existentia ostendimus; sed eadem etiam in venosis ramusculis proximis causis seri absorptionis insidere posse consequimur. Nunc de anasarcae indiciis deque ejus symplegmate. Proprius simplicis anasarcae character in hoc consistit, ut totum corpus, quin doloribus ardore, vel alio phlegmasiae signo conflictetur, tumeat. Si partes a sero invasae praemantur facillime cedunt, impressamque foveam aliquandiu conservant. Raro autem accidit,

ut tumor simul, et idem ubique corporis appareat. Exterius in palpebras, labia inferiora ac genitalia membra, quo serum maxime coit, potissimum aedema penetrat: id principium a cellularum lassitudine, et secundum, cum scilicet, ad inferiores ac pudibundas partes serum trascenderit, a pondere ducimus. Urgente anasarca, ut supra diximus, cutis albitudo magis magisque sub sensus cadit: haec membrana arescit, sensim nitet et aliquantum translucet. Cum anasarca ingravescit, aegrotantes corporis pondus augeri sentiunt, lento ac difficili gradu, non secus atque sarcinam deferrent, incedunt: spiritus angustiae continuo sequuntur. Haec praecipue, cum ad anasarcam hydropisiae interiores accedant, animadvertimus: caetera autem signa, quae in leucophlegmaxiis observantur, a caeteris morbis, qui anasarcae quoque possunt comitari prodeunt. Anasarca symptomatica sive continua nomine dicta plerumque ex quadam cordis, majorumve vasorum affectiones oritur. Huic hydropisiae minime sicuti falso quidam autumarunt indicia quae ex alio morbo existunt, sunt adscribenda. Error turpissimus, quia symptomata, de quibus agitur, uti animae interclusio anxietas, ac venarum cordis inaequalis percussus, sanguinis massae et alia permulta, ab anasarca non procedunt, atque aliena a vero definiendo principio, illius causae, quae caetera supra memorata symptomata, exhibet, solum sunt consecutiones. Inter anasarcam igitur, atque haec symptomata, non principii sed tantum accidentis ac temporis communio intercedit. Sicuti generalia aedemata, saepissime ex circulationis centralium organorum affectione, ita etiam quaedam peculiares ex impedimento venosae circulationi partium, ubi se manifestant, exiliunt. Hic tamen cavendum ne qua proprie ex vasorum affectione, quae in ejus causa est nascuntur speciali

aedemati adjudicemus. Maxime autem interest, ut hujuscemodi notiones nostrae memoriae infigamus. Anasarcam quoque plurimis aliis morbis, qui nullam cum ipsa necessariam affinitatem jungunt, liquet posse constare.

Inter anasarcae activae causas potissimum recensetur: vis humidi aeris continens: affluentis cutis perspirationis repentina suppressio, immodica aquae frigidae potuum usura. In iis enim regionibus quibus humidum ac frigidum coelum fere semper effunditur dominari anasarca consuescit. Ad hoc eandem, homines ex illarum exempli caussa, quas variolas et rubeolas vocamus pustullarum morbo convalescentes ubi inconsiderate humidae ac frigidae aurae defluvio caput objiciant, facillime invadere animadvertimus. Saepissime etiam qui jandiu intermittente febri laborant, non secus atque frigoris periodus, unde hujuscemodi morbi primordia capiunt quendam cutis perspirationis humoris recessum in cellularis systematis areolas pareret, anasarca opprimuntur. Quomodocumque haec hypothesis se habeat, liquet variis secretionibus, quae ad unam eandemque revocantur classem, aliquam solidorum legem inesse, qua si harum altera decrescit, aliae itidem augentur: adeo ut primam libramento restituere videantur. Hujusce phisiologice legis notione destituti, complures morbos, qui uti anasarca ab secretionis adauctu proficiscuntur, explanare dificillimum esset.

Anasarcae passivae a supra dictis omnino discrepant causae: siquidem, potius quam seri secretionem adjuvent, hujus humoris liberae ac facili absorptioni adversantur. Medici qui hanc absorptionem tanquam a vi, quam vitalem nuncupant necessarie pendentem aestimarunt, inter causas passivae anasarcae omnes quin

morales exciperent, debilitantes affectus, quibus utique corpus obnoxium esse potest, censuerunt. Horum virorum sententiam nec affirmare, nec refellere in animo est: sed cum absorptio ad pyhsicem magis quam ad mores pertineat, ejus vicissitudines causis physicis vel mechanicis saepe referendas esse arbitramur. Quisque speculator venatorque naturae id omne quod affert impedimentum, quominus sanguinis in praecordia redeat (veluti compressiones, nexus membra obbligantes, ita ut strictius vel minus harum partium venosam circulationem praecludant) in locis transpunctum ubi haec agunt causae positis, seri gurgites efficere, vel esse effecturum probe cognoscit. Huic eidem agendi rationi morbosae obliterationes majorum arteriarum, ostiorum cordis astrictio et caetera obsequantur. Eaedem quidem totidem magis minusve anasarcae passivae distantes sunt causae, nunc reliquum est ut primum si causae ejusdem generis in causis absorptionis necessariis, et secundo, si hoc causarum ordine accepto, aliae sint alius ordinis sicuti vitales causae ostendamus. Cum nihil argumentum nobis suppeditet quo extremum hujusce quaestionis enodemus hanc instituisse satis habebo.

Anasarca, cum nullo alio morbo constiterit, neque ex intimis affectionibus genere earum, quas diximus, effluat, generatim anceps minime est habenda. Subito ac medicinam ars illi possit providere, et interdum etiam sine medicorum ope, natura tantum adjuvante, eadem corpore deducitur. Ast ne nimium laevia sectari videar, haec aliaque missa faciendo, de expedita curatione, ac naturali modo anasarcae sanandae continuo tractabo; ac primum de activa idiopatica anasarca. Hoc loco duo praescripta potissimum exhibent: primum ut organicae temperationi, e qua secretionis additamentum

nascitur, responsetur; secundo: ut detrahatur vel resorbeatur humor, qui in cellulares areolas meaverit, curandum. Hoc autem in morbo, sicuti in caeteris, causas imprimis, quae eum produxerunt, radicitus resecandas esse non dicam: cum id omnes homines a natura edocti haud nesciant. Nonnulla hisce praescriptis respondentia remedia adhibita fuerunt. Sicuti organica temperatio, quae activae anasarcae origini praeest, haud procul ab illa, quae phlegmaticas congeries fundit, abesse videtur, antiphlogisticam methodum in medium attulerunt, atque utiliter congruendi gratia in primum praescriptum, factitarunt. Sanguinis detractio duplici est usui: sanguineam scilicet, si qua esset, congestionem imminuit et seri effluxi fovet resorptionem. Caeteras autem venas, potius quam capillares, ut incidamus, optimi auctores nos docent. Hasce cum aedema minime totum corpus, sed tantum ejus partem exempli caussa membrum aliquod pervadat, aperire magis conduceret. Puerperarum aedema subito ac hyrudines, fomentaque emollientia adhibita fuerant, decedere observatum est. Hoc tamen in morbo aedema, ab absorptionis organorum, atque venarum potissimum phlegmaxiam quae inter alia sanguinis, quem haec vasa capiunt coagulationem, et canalium majorem minoremve obliterationem efficit plerumque pendere quisque dabit. Nunc peculiares sanguinis missiones, phlegmaxiae, cujus aedema remotum est consectarium, imprimis contrahit. Anasarca a quacumque venosorum ac lynphaticorum laesione truncorum aliena, morbus est rarissimus. Quam multa remedia, ut ad secundum praescriptum se agerent, medici invenerunt. Sanguinis missiones, eo solum quia aliqua ex parte sanguinem detrahant, seri resorptionem adjuvare animadvertimus. Quidam ut eandem rem assequerentur, me-

dicinam, quae secretiones quasdam cieret, sicuti diuretica, vescicatoria, diaphoretica, cathatica, faciendo studuerunt. Hujus curationis modus plurimos atque felices profert exitus, et nos utique ejus virtutem explicare debemus, hoc in memoriam revocando: eadem ratione, qua secretiones quaedam augescuut, eo solum quod aliae decrescunt, quarundam secretionum adauctum earum quibus, ut ita dicam, communis est natura, necessarie parere imminutionem. Ex solidorum lege, cujus nuper mentionem habuimus, hoc infertur. Artem non semper affluentes secretiones unde fit, ut quaedam seri congeries dissolvantur, concitare videmus. Hujuscemodi secretiones tum naturaliter cum sponte aliquando etiam subortae fuerunt, atque aegrotantem sanitati restituerunt. His crysim et naturam medentem efficienti causae, quae nisi aliud est quam ad libramentum inclinatio, quae omnia animantia corpora sine intermissione exercet, quaeque inter eorum principes leges recensetur dixere nomen. Hic de diaphoretici, cathartici, ac diuretici medicaminis usura verba nobis essent iteranda. Seri directe eruptionis in anasarca activa, ne nullum quidem extat indicium. Nunc tandem sequitur, ut de anasarcae passivae curatione, modice dicamus.

Doctores viri qui morbum hunc vasorum absorbentium atonia proficisci putarunt, in praesentiam procul dubio remediorum numerum medicamenta quae tonicorum nomine nuncupantur, digesserunt. Ast haec opinio haud satis, ut rationalis curationis sit moderatrix, sapiens esse videtur. Constat in anasarca passiva a physico vel mecchanico impedimento seri et venosi sanguinis cursum praecludente parta, ut hoc impedimentum, si modum ars suppeditat, eradat imprimis medico curandum. Causa sublata plerumque continuo effectus vanescit. Si

serum in cellulare membranorum systema transmissum per naturales vires minime resorbeatur, cum obstaculum, de quo loquimur finierit, ut humor leviter hic illic pungendo atque scarificando pellem detraheretur oporteret. Diureticis quoque diaphoreticis et catharticis pharmacis quae veluti sanguinis missio, imminuendo scilicet vim humoris in vasis contenti ad ciendam seri effluxi resorptionem tendunt, uti possemus. Quoad cutis incisuras, quae ad curandam anasarcam adhibentur eandem quam punctiones in hydrocelis, paracentesis, in cujusdam ascitis, et empiematos, chirurgica curatio in hydrothoracis morbo reddunt rationem. Cum serum quod usu saepe numero venit, in cellulari membrorum systemate coactum aliud non est quam centri circulatorii, aut alicujus magnae arteriae organicae invaletudinis praesagium, humoris egestionem minimae anasarcae patet esse absolutorium. Nam serum paulo post renascetur. Ast interdum ut punctiones, vel pellis incisurae, exulcerationes quod ad cicatricem perduci nequeunt, erysipelarum inflammationes, et etiam ingenuas gangrenas ex sese fundant accidit. Haec igitur cautissime ac rarius quam possimus experiamur remedia. Incommodis jam memoratis acuto calibe dum pellem fodicamus utendo antevertitur. Roche, vir sapientissimus hac morbi occasione acum quo mulieres pingunt, prospero successu usurpavit. Simplices aut variis confectae aromatibus frictiones, comprimentia ligamina, versatilia vescicatoria coeperunt. Unam ex anasarcae passivae causis in principum venosarum membrorum stirpum obliteratione consistere animadversum est. Nonnulli anasarcam inde exortam omnino insanabilem esse prima fronte autumare possent: quae tamen opinio abest longissime a vero. Istiusmodi hydropiseos sanatione naturae et nequaquam arti, nostra

saltem aetate, acceptam referre debemus. Cum enim aqua intercus a magni venosi trunci obliteratione scatens evanescat, naturam arte ingeniosiorem in integrum cursus seri ac sanguinis finitimi venosi systematis hiatu restituendi rationem invenisse docemur. Eodem pacto sicuti omnibus ac manifestum est, rubri sanguinis circulatio repetit membrum postquam praecipuum hujusce membri arteriosum truncum constrinximus. Medica disciplina complura argumenta quibus propagatio finitimae circulationis inter turbati seri cursus restitutionem curantis stabilitur, in medium ponit: quae argumenta paucis abhinc annis clarissimus Reynaud Lutetiae Parisiorum valetudinarii hospitii medicus, in unum conclusit. Ex illis quas ipse nasute egit inquisitionibus venosos ramulos anastomoticum tantum systema primum efficientes nihil morari quominus in latitudinem crescant, et aliquanto post truncos usque ampliores, tandemque unum alteri quem arctat obliteratio persimilem, iterum choire satis liquet: unde hac in re naturam, qua in finitimo arterioso systemate creando eadem via progredi est colligendum. Reynaud cum finitimae venae supra modum protendantur alicujus principis trunci obliterationem inferre posse haud falso arbitratur. Quae cum ita sint hydropisias a continuo sanguinis circulationis impedimento uni ex praecipuis truncis venosis insito profectas minime immedicabiles necessario habendas statuimus.

THESES PROPUGNANDAE



I.

Venenata pharmacorum principia, morborum symptomata non tollunt sed abscondunt atque mutant.

II.

Scrophula ad diatesim hyperstenicam semper pertinet.

III.

In hydrope hyperstenico, seu inflammatorio, digitalis purpurea non ob ejus actionem diureticam, quae plane secundaria est, sed ob ejus virtutem primariam in systemate vasorum sanguiferorum praecipuae manifestam prodest.

IV.

Omnino excludendum est an cholera sit flebitis.

V.

In diarrhoeis gastricis catharralibus, cum irritationes, praegressis remediis opportunis, fugatae fuerunt, hypecacuana, refracta dosi, quam maxime prodest.

VI.

Cholera inter morbos contagiosos sine dubio, ut celeberrimi Medici Italici demonstrarunt clarissime, nuncupare debemus.

VII.

Cholerae therapia semper symptomatica cadit.

VIII.

Stimulantia neque sub inflammationis initio conveniunt.

IX.

Miasmata ex quibus aliqui pendere choleram volunt sane incredibilia sunt.

X.

In stadio algido cholerae, radix hypecacuanae pulverizatae, plena dosi adhibita, per maxima adjuvamina suppeditat.

XI.

Cholera morbus mysterii.

XII.

Nec habemus in choleram specificum, nec amplius inveniretur.

